IVO
INNOCENTIAE PATRONVS
ORATIO
HABITA IN EIVSDEM TEMPLO

Ad Eminentisſimos

S. R. E. CARDINALES

A IOANNE BELLO ORBITELLANO
Sem. Rom. Cler.



ROMAE ; Typis Hæredum Francisci Corbelletti, 1639. *Superiorum Permiſſu.*

Eminentiſsimo Principi
ANTONIO
CARD. BARBERINO
S.R.E. CAMERARIO

IOANNES BELLVS ORBITELLANVS F.

INNOCENTIA, quam Inferni Liuor prædonis terrarum è finibus fecit extorrem, iam poſtliminio reuocata amantiſsimi Patroni ſiſtitur ad Tribunal; abrogataque Sententia diuturnioris Oſtraciſmi, patrio tandem or- *Ariſt. lib. 3. Polit.*

be redonatur. Quò verò, vnico IVONIANAE Charitatis erepto patrocinio, tutius na-ctura præsidium confugeret, quam ad tuarum Apum tutelares alas vel maximè innocentium incolumitati explicatas: Hic flores metet ad Candorem; mella libabit ad vitam; aculeos exeret ad tutelam; pretiosioris metalli sæculo felicius in orbe instaurato. Excipe igitur in Hospite, integerrimæ mentis indice, sinceræ in te Meæ, Meorumque obseruantiæ monumentum; meque vmbra, quæ multum habet lucis, humanissimi, vt soles Patrocinij foue. VALE.

IVO

I V O
INNOCENTIAE PATRONVS.

MIRABAR quemnam tandem enucleandæ veritatis collimaret in ſcopum globus ille flammarum; qui placidè rotatus è cœlo IVONEM ſacras operantem ad aras ambiuit innoxius. Sur. 19. Ma. Ac primò quidem venit in mentem, prodigioſa beatitatis in Iride ductus quoſdam æternæ lucis, cœleſtiumque virtutum colores agnoſcere; quibus IVO in auguſtiorem diuinitatis ideam conformandus ab Artifice amore debuerat expingi. Ambr. lib. de bon. mor. cap. 5. Deinde animo ocurrit, IVONEM ſuſpicere vel igne Greg. Tur. Hiſt franc. lib. 5. Zoroaſte felicius tranſcripũ ad ſuperos, quaſi iam

 diui-

diuinitate potitum; vel in ipsam Dei naturam quam igneam asseruit Plato metamorphosi planè mirabili iam iam degenerantem. Verùm pluuium igniti turbinis fulgur, in acuminatam cœli cuspidem çessisse, vt satius affirmarem; suasit præsertim supra Pericles concitata Ivonis facundia; qua flammeo quodam iustitiæ telo, vt olim Angelus ad terrestres Paradisi fores instructus, innocentiæ causam propugnaret acerrimè. Quisquis enim innocentiæ patrocinaturus in contentiosæ dictionis euocatur certamen, fulminantis eloquētiæ telis illum par est insigniri diuinitus; vt in erudito facundæ Palladis conflictu, & verè ardeat Orator cælestis, & victor animorum tonet bellator planè diuinus. Libeat igitur ad hanc splendidam Humanitatis non minùs quàm purpuræ lucem viuacibus rerum cum virtute gestarum lineamentis Ivonem exprimere, suæ primum, mox alienæ innocentiæ patrocinantem.

Iust. Orat. parer. cont. Gent.

Gen. 3.

Vix in lucem editus Ivo, pietate magistra sanctioris vitæ imbuitur præceptionibus; quas dum ebibit auribus, exprimit intereà moribus, doctor ante, quam auditor in hac ingenuæ probitatis palæstra. Nam si ætatem metiare, tyronem; si virtutem, iure emeritum dixeris, cum primo æuo præstiterit puer, quæ ipsi senes maturioribus annis

vix

vix assequantur. Eius dicta, altioris erant effata sapientiæ: facta, præstantioris monumenta fortitudinis; vita, non vulgaris norma virtutis: vno verbo absolutissimæ speciem sanctitatis mortales licet subterfugientem obtutus, corporatam suspexisses in IVONE. Excitauit in priuato sui pectoris foro tribunal Eunomiæ templo longè præstãtius; in quo sedens arbiter ipse, & patronus contrà infinitam scelerum turbam, innocentis animi candorem opprimere molientium, humano fastigio celsior assurgit, & blandientium tela voluptatum, in portentosam Gygantis molem prius adultus, quàm natus constanter elusit. Iucundo parentum è complexu abstrahitur, in sinum sapientiæ conuolaturus: adijt nempè celebrata Lutetiæ, ac Aureliæ lycæa literarum æque, ac probitatis sectator amantissimus. In ipso aditu scholæ, non veterum more Grecorũ aram insani cupidinis, sed simulacrum diuini amoris faber ingeniosus extruxit, impensis quæstuosissimæ pietatis, cui vaporato precationum thure identidem litaret sanctioris Mineruæ Mysta castissimus. In affluenti illa copia adolescentium literis operam nauantium, æstuoso veluti in licentiæ pelago, si spectes IVONEM, Athenis commorantem credes Basilium, hoc est prodigiosum Alphęum, nil vitiosa alióquin è sa- *Plutar. in Erot.* *Greg. Naz. Orat. 20.*

 lacia

lacia trahentem preter vnam sapientiam: dignus profectò, qui sanctissimi antistis in merito exæquetur vt in præconio. Molire iam teterrime animorum insidiator, contexta fraudum machinamenta? strue dolos? obtende laqueos in ingenui perniciem adolescentis? omnem tamen istum conatum vt à leui furoris flatu profectum; sic quoque leues cessurum in auras speres irritum, ac euanidum: nam I V O prudens veluti Argus, centenis oculis super solem lucidioribus, non ad fabulosam Inachi filiam, sed ad pietatis fœtum, ad partum virtutis, ad vnam nempe inuigilat innocentiam, quam nequidquam te reclamante seruabit indemnem. Oraculum sanè non ex adytis humanæ sapientiæ, sed è cœlestis cortina veritatis constat illud, quo flos ingeniorum Augustinus, florem ætatis periculum mentis argutè appellauit: volitat enim iuuentus habenis in abrupta omnia liberius effusis, hinc fucatæ voluptatis delinita illecebris, inde blandæ cupiditatis illicijs irretita, vtrinque baccantium Mænadū ferro nudum præbet latus, grauius, quò occultius terebrandum: ex quo fit, vt ad primas scelerum faculas priùs extinctum, quam afflatum; priùs vulneribus saucium, quam telis obnoxium adolescentem demiremur: vsque adeò plus ardoris effundit, quam splendoris exæ-

Ecclesi. 25.

August. Ser. 2.6 de tempore.

Natal. Com lib. 5. cap. 13.

stuans

ſtuans flamma voluptatum. Proh quale genus præſidij, aduerſus tot ignes, vnus ſeruandæ innocentiæ ardor excogitauit in IVONE! refer animum ad protracta in longum tempus ieiunia, ad hiſpidos cilicinæ veſtis aculeos, ad noctes in iugi precatione traductas, ad aſsiduas corporis afflictationes; & inficiare ſi potes illum omnibus neruis contendiſſe, vt infenſiſsimum hoſtem eneruaret. Verum quorſum luctaturus cum flamma cupiditatis, nouus pugil in arenam deſcendis, non oleo ſed ſanguine perfuſus, diſciſsis ex humeris vbertim emanante? videlicet non te latebat diuini victima amoris; Gehennæ ignes & flammas glorioſo cruore ſopiri ex Africanæ eloquentiæ pronunciato. Sed quid forenſi cordis in curia, defenſam ab IVONE innocentiam mea apud vos adhuc euincere contendit oratio? Dum cœlum ipſum IVONIS animum nitidiſsimo niuium candori ſimillimum, oppignerata fidei ſponſione præclariſsima, ſatis ſuperque conteſtatur. Adeſt ſiquidem cœli internuncia, par niuibus columba, quæ dum ſpectantium oculis conſpiciendam ſe obijcit orantis vertici inſidentem, an non animis etiam vltrò inſinuat? ſe vel iuoniani pectoris nidum, ſuo candori concolorem affectare; vel virenti pacis olea Noemum inter ac cœlum rurſus beata com-

Cypr. epiſt. ad Mart.

commercia instaurare. Nec mirum si erectus solo, ereptusque à se se, vi humana maiori raperetur ad Deum; quippè cœlo magis, quàm terris mente defixus, eò tendebat corpore, quò votis collimabat. Felix nimium stellati hospes domicilij! didicisti iam tum quidem tibi sedem æternæ beatitatis in patria describere, à qua corporis angustijs detentus exulabas: si tamen innocentiæ candidatus à paradiso potuit vnquam esse extorris.

Hæc in vmbra: quid verò in solem eductus? Vbi primum causarum arbiter renunciatur IVO, pupillo tutorem, propugnatorem viduæ, aflicto patronum se exhibuit amantissimum: nec multum illi fuit insudandum, hanc artem apprimè docto à Natura: nam mens recti tenax, alienæ occurebat saluti, præcordia reserando charitatis. Didi-
Eccles. 18. cerat ex monito sapientis, pretiosam sibi in primis verborum stateram comparare, vt æquissimis innocentium virorum causis faceret pondus, si quando potentiorum vi, hoc est iniustitiæ trutina libratæ, imam deprimerentur in partem. Quid memorem quoties forensium iudiciorum in certamine contra sceleratorum fraudes, opulentiorum minas, districtos denique gladios furiosorum steterit interritus IVO, vni eidemque semper patroci-

troci-

trocinatus innocentiæ? Edixerit aliquando lex Cincia atrocioribus supplicijs eos mulctandos causarum patronos, quorum iudicium in sententia ferenda illuc propendere videretur, quò vergeret aurum: Quoniam IVONIS animus ad vnam iustitiæ libram attemperatus, nunquam ab æquitatis lance recedet; doctus grauiorum momenta litium pro vna innocentia metiri. Tantum ergo aberat vt in iudicijs pronunciandis nihil non argenteum loqui vellet cũ Simonide, vt calamitosis viris ęqua causæ conditione destitutis tantum auri solueret, de suo erogando, quantum per sententiam ademisset, alteri adiudicando, ò profusam IVONIS in egenos munificentiam! ò auream sanctè venalis fori segetem! qua non auarus quispiam Stratocles sed pauperum auarities splendidè ditescat, & sanè illa non semel obstupuit, se minus auidè excepisse, quam IVO fuerit elargitus; præuertente sæpius IVONIS liberalitate vota supplicantium, ne tot calamitosorum innocentia erubescere adhuc cogeretur in petendo; quam satis durum, necessitas, telum cruentabat. Quocumque pedem figeret, ibi munificæ liberalitatis imprimebat vestigia, & Lucerio Galliæ Principe fortunatius aurum & beneficia procreabat mortalibus: & mirabimur IVONEM, nullam sibi in elargiendo metam præscripsisse, qui

Isid. Te'if Lib. 1. ep. 191

Plut. in Inst. Ciuil.

Ath. ũ. lib. 4.

qui è diuinitatis ærario sortitus fuerat Deum, suarum opum liberalissimum largitorem? vos mihi testes exhausta horrea, grandioribus frumenti aceruis locupletata; panes, in copiosę multitudinis alimentum miro prodigio cumulati; arcæ, ingenti vi pecuniarum in pauperum subsidium auctæ diuinitus; multiplicati commeatus, extensæ dapes, quibus nō semel miserorum inopiæ fuit abundè consultum. Victima humani capitis, inuita quandoque obdurato in perditionem animo, ferale trahebatur ad supplicium; accurrebat ilicò Patronus amantissimus, & non minus contumaciæ ream, quam criminis, suæ clementiæ euocabat ad tribunal, & quà precibus, quà minis, obductos animo rigores ita emolliebat; vt statim præ nimio doloris sensu, large fluentes eliquarentur in
Virg. 2. Georg. fluuios; quibus illa sanctius abluta, quam veterum olim victimæ, sponte iustitię concidebat ad aras. Reuocaretur profectò ad belluas & muta elementa hominis obsequium, si reuocatam intueri liceret in hominibus innocentiam. Vultis in IVONE hanc quoque non contemnendę laudis pręrogatiuam agnoscere? en aues primigenij Adami pendent ab ore imperium & legem excepturę: ignes valentiori eiusdem precum incendio compressi: fluuij, iessęa virga felicius, stantibus hinc inde

flucti-

fluctibus diuisi: obtortę arbores, IVONIS nutu quemcunque in vsum flexiles: quid plura? ipsimet lemures obsessorum è tyrannide corporum in obuallatas ęterna caligine tenebras abacti, ac profligati: enimuerò decuit res creatas omnes, ancillantibus obsequijs vni semper famulari IVONI; qui à suscepto innocentię famulatu numquam discesserat. Mira sunt hęc obtemperantis Naturę pręstita in innocentem IVONEM obsequia; sed longè mirabilius est; quod Deus cœli Regnator pręstantissimus non rutilanti beatarum mentium penna; *Isa. 6.* sed pannosa mendici specie velatus, terrenum ad hospitium IVONIS diuertere, cum eodem iucundam moram facere, eiusdem mensę conuiua nobilis asidere, ac suauiter epulari non abnuerit. O mensas solares ne dicam an saliares! in quibus temperantię latices, liquidissimę iucunditatis cum nectare diluuntur: ò cibos reficiendis viribus vel maxime vitales! quos vita ipsa salutari succo æternitatis aspergit. Quis tibi tunc sensus IVO? quis menti ardor inditus? cum abiectioris formæ discissa nube; quantus diuinitatis in solio videri solet; affulsit tibi Sol diuinus, ridenti ore pacis signum impertitus. Sensit ille quidem, Auditores, imo pectore conceptum ardorem, & amabili incendio sibi paulatim corda depopulantem.

Nam

Nam ex quo Numinis ſpectanda ſub imagine liberalius eſt vſus affatu, eiuſdem penitus ebibit naturam, merus ſpiritus; ſeiunctus à corpore, ab omni mortalitatis concretione ſeparatus; fato videlicet extinctus placidiſsimo; I ingenuę probitatis ales illuſtris, cœlum toties tuis volatibus dimenſum feliciter ſcande; diuinęque ſolem maieſtatis, cui iampridem aſsueuiſti; contemplare vicinius: & quando mortali è foro immortalia prouocaſti ad ſubſellia, perge adhuc iura clementiæ dare mortalibus; ditando pauperes, beando miſeros, publicæ denique incolumitati conſulendo: vt agnoſcat innocentia, opulentiori benificiorum largitione ſibi, vt nuſquam alias, vel te maximè in cœlis patrocinantem.

LAVS DEO.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij Apost.

I. B. Episc. Camerin. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Palatij Apostolici Magister Ord. Prædicatorum.